UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Adm. Illvstris Ac R.dissimi Domini D. Fr. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini Ord. FF. Prædicatorum

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, Anno M.DC.XLIX.

§.15. Dum se Christus in SS. Sacramento præbet in cibum, nos sibi vnione copulat admirabili.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53084

Visual Library

morte ne reformides, cum iam vitam ſis habiturus: nec morbos, cum tecum futura ſit ipſa ſalus, nec ipſum metuas infernum, cum obiecto

XIV. Hoc tráſmittimus Iordané.

gloriæ ſis læraturus, hac munitus chlamyde aquas tranſmittes Iordanis, mundi inquam miſeriarum & infortuniorum: cum nihil eorum obſtare poſſit quo minus ad æternam peruenias promiſſionis cælum inquam, hæc ab omnibus te defendet, hac indutus nihil tibi formidandum:

Pſ. 22. 1.

Dominus regit me & nihil mihi deerit. Deus me gubernat, quid mihi deeſſe poterit? *Nihil* legit alia verſio: *Dominus Paſtor meus*, qui me carne ſua & ſanguine paſcit, *In loco paſcua ibi me collocauit*, tali me loco ſtatuet, vbi in cibum cæleſtemque paſtum ſeipſum exhibet vt me illi vniat & incorporet: hinc quæ bona? *Etſi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala*: me licet impugnent inimici, non timebo: *Quia tu mecum es Domine.* Deus mecum eſt in SS. Sacramento, in quo illum recipiens, ipſum in me habeo, & ego in ipſo ſum, quid mihi accidere poteſt ſiniſtri? Vt autem Chriſtus hoc nos ſolamine deliniat, receſſurus ad Patrem, nobiſcum eſſe vult in SS. Sacramento.

§. 15. *Dum ſe Chriſtus in SS. Sacramento præbet in cibum, nos ſibi vnione copulat admirabili.*

☞ 51

I. Summa ex peccato inter nos & Deum diſtantia.

INfinita erat intercapedo inter nos & Deũ orta ex peccato: quocirca nos Deus velut inimicos habebat: quia nullum patitur Deus magis contrarium quam peccatum: quantum enim eſt ex parte peccantis, ſicut in illo finem ſuum conſtituit vltimum, cum duo fines vltimi eſſe non poſſint, ita neceſſe eſt vt in actu peccati deſinat Deus eſſe finis noſter vltimus, ſuppoſito quod peccato hanc gloriam deferamus, illam Deo detrahentes, qui finis eſt vltimus vtruſque omnium creaturarum, & per conſequens quantum eſt ex ſe Deum deſtruit. Hoc dato an grauior alius eſſe poteſt illi inimicus & quam procul nos à Deo elongabit & quantum per illud homines aberant antequam Chriſtus nos Patri ſuo reconciliauerat? Hanc intendit diſtantiam vnione copulare perpetua, nos Deo vniens, & amicos efficiens: ad hoc autem elegit vt medium SS. Sacramentum in quo ſub ſpecie cibi ſe nobis tradit, vt ita ad eius reuertamur amicitiam, illique tam arcte vniamur, vt in Deo nos maneamus & ipſe in nobis: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in illo.* Hoc conſilium dedit

II. Ad hoc vniones cibus eligitur. Prouer. 25.

Spiritus S. quo ad vniformem vnionem inimicus maximè ſeparatus reducatur, ſi nempe fame languenti cibum offeramus quo fiet vt animi diſformes conformentur: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: prunas enim congregabis ſuper caput eius.* Scito ſi hoc feceris carbones ignis accenſos ſuper caput eius effundes, non quibus comburatur, ſed quibus maxime diſtans & elongatus coniungatur: quam admirabilis ſimilitudo! Nihil tanta pollet, ac ignis, virtute vniua: ferrum maxime refragatur vtpote durum huic vnioni, quod licet ita ſit illud tamen ignis coniungit vnumque alteri ferro ferrum copulat: eadem patet experientia in chalybe, auro vel argento: vt autem inter ſe vniantur ignis hanc operatur vnionem & diſtantia coniungit. Nihil adeo difficile copulatu, quam duæ ſibi oppoſitæ voluntates: quæque ad ſuam violenter trahit partem, & quo vna accedit altera recedit, vnde maxime arduum eſt illas ſibi approximare vt inuicem vniantur: ex altera parte cuiuſque obſtinatio in eo quod aggreditur illam reddit ære ferroque duriorem. Vt hæ duæ copulentur voluntates, nihil cibo potuque congruentius, hoc eſt extremæ inimici neceſſitati cibo potuque ſubuenire.

III. Ignis vi te habet vnionem.

52

Cruuento prælio decertabat Dei populus contra Regem Balac, & furibunda fremebat vindicta in Moabitas tam viros quam mulieres. Vires populi Dei notat Rex fortiſſimas, & ad induſtriam recurrit vt eius munitiones illi non proficiant, ariolum conſulit Balaam vt de remedio proſpiciat opportuno, cui præſtigiator hoc ſuggerit conſilium, vt producat in campum exercitum, mulieres venuſtate corporis & adulationibus inſignes, quæ filijs Iſrael delicias victumque offerant acceptum, quo fiet vt optatam de illis conſecuturus ſit intentionem. Tractant eleganter hanc hiſtoriam D. Chryſoſt. & antiquus Origenes & robur ac vires expendentes Iſraelitarum contra Moabitas eorumque mulieres, aſſerunt eos animo fuiſſe adeo generoſo ac forti inſtar adamantum: etenim Balaam illas intuitus populi Dei legiones, ordinem, robur & pulchritudinem, licet adeſſet illis maledicturus, tantam tamen admiratus earum fortitudinem, qui maledicturus eis venerat, mille complet eas benedictionibus: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael!* Vnde ſe ſubmittit, & regi omnem ſpem aufert remedij, cum autem

IV. Filij Iſrael quibus ſuperati ſunt.

Hom. 14. ad Pop. Hom. 20. in Num.

Num. 24.

tanto populus Dei vigore ac robore præualeret, maior autem adhuc eſſet ſimultas qua contra populum incandeſcebat maledicti illius Regis Balac: Nihilominus vt hic à mulieribus aduocatur delicijs cibiſque allicitur, omnem remiſit inimicitiam & voluntate ita conuenit vt cum illis fornicaretur : *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua, at illi comederunt*, & confeſtim fœdera iunxerunt amicitiæ cum mulieribus Moabitarum. Quis huius auctor prodigij? Vt quas prius tanto fuerant odio execrati, illarum pane & delicijs paſti tam ardenti illas ſint amore complexi, vt inter ſe ita conuenerint, vt hi relicto Deo ſuo, Pſeudodijs mulierum ſacra facerent: *Et adorauerunt Deos earum.* Quis illos ſic adunauit? Quis corda coniuxit, cum ex veteri diſſidio tantum à ſe mutuo diſſiderent? Tibi compertum ſit panes & delicias hoc patraſſe miraculum & vnionem hanc perfeciſſe.

V. Ciborum delicijs. Num 25. 1.

Intendit Chriſtus nos ſibi coniungere : vt vnum quid cum Patre eius eſſemus : *Vt omnes vnum ſint ſicut tu Pater in me & ego in te : vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quid remedij? Sunt enim homines Dei inimici, eaque de cauſa infinito ab illo diſtant interuallo. Quis hanc efficiet vnionem? Quis extrema adeo diſſita coniunget? Medio vtitur Chriſtus illo quo mulieres Moabitarum. Prodit illis obuiam ciboſque offert non quoſlibet ſed carnem propriam ac ſanguinem, illis nutrit illos ac fouet: *Ciba illum* carne & Sanguine Dei, hoc epulo eius ſuccurre neceſſitati, atque per hoc prunas congregabis ſuper caput eius: perficietur hoc prodigium vnionis iuſti cum Deo in SS. Sacramento : eo namque modo ſe ipſi coniunget vt in ipſo maneat & ipſe in eo. Etenim proprium quarto modo eſt vnio cum Deo huic SS. Sacramento, & voluntatum coniunctio maxime diſtantium ac contumacium, vt ſint omnes idem & eodem modo cum Deo.

Io. 17. 21. VI. In nos Chriſtus ſibi ſimiles hoc cibo aduacc.

Quod ſi mirabilem hanc SS Sacramenti velimus vnionem agnoſcere oculis conſideremus eſſe verum ſacrificium quod omnes Eccleſiæ populos in ſua veneratione cultuque coniungit: etenim ipſa ſola eſt quæ inter cæteras congregationes arctius copulat in vniformitate voluntatis corda inter ſe diuiſa, atque in eundem conciliat animum in omnibus quæ huius myſterij concernunt venerationem :-& cum habeat etiam rationem holocauſti oportet vt ignis adſit comburens. Quia vt notat D. Thoma. Paſſio & Mors Chriſti Saluatoris in cruce, fuit velut ſacrificium peractum in Altari. Altare vero holocauſti in quo animalia offerebantur ex lignis erat compoſitum. Ignem materialem ſuppleuit ignis charitatis & amoris Chriſti erga homines, ignis inquam qui non conſumpſit hoc holocauſtum licet illud accenderit In hoc SS. Sacramento memoria recolitur fitque repetitio Paſſionis & mortis Domini, quocirca in illo cõſiderare nos oportet eundem ignem Chriſtum in ea accendentem : & ſicut in illa ignis exarſit charitatis, ita hic etiam charitas Chriſti conſideranda venit velut ignis hoc inflammans holocauſtum : amor etenim Chriſti erga nos in hoc pateſcit SS. Sacramento : cum enim ſit amoris Sacramentum, Sacramentum vocatur Euchariſtiæ id eſt *Bona charitatis*, ignis charitatis : vnde figura fuit prodigioſi illius ignis de cælo deſcendentis cuius meminit S. pagina: *Apparuit gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum.* Ob quam cauſam vt referunt D. Ephrem & D. Chryſoſt. SS. Sacramentum dictum fuit ignis: & in antiquiſſima D. Iacobi Liturgia dicitur ſacerdotem conuerſum ad populum dixiſſe : *Dominus nos benedicat, & dignos nos faciat, qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem, & imponamus in ore fidelium ad purgationem & renouationem animarum, & ipſorum corporum, amen.* Amplius nos confirmat de igne illo cæleſti figura huius Sacramenti, præceptum Domini de igne illo quem ſemper volebat ardere in altari, ſicut ſemper ardet ſeruaturque in SS. Sacramento: *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna mane per ſingulos dies: erit ignis iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari.*

VII. Quod ſignificat quia eſt holocauſtum.

3. p. q. 64. a. 4. ad. 1.

Exod. 27.

VIII. Quod ab igne diuino deuorabatur.

Leuit. 9. 23

Citat. à Boſ. Lib. 3. de ſignis. Eccl. ſ. c. 7. n. 7.

IX. Quis hic ignis fuerit.

Leuit. 6. 12.

Ni fallor ſingularibus circumſtantijs proportionem denotat illius ignis cum SS. Sacramento, vt propriæ figuræ cum vero figurato: ſemper inquit ardebit in altari quia præcipit vt ſemper in altari ſeruetur hoc SS. Sacramentum, eritque ſolius ſacerdotis officium illius conſeruatio: quia ſolis conuenit ſacerdotibus ex proprio munere eius conſecratio : *Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit ſolis Presbyteris.* At hoc quotidie facto opus: quia iubet in Eccleſia ſua quotidie hoc offerri ſacrificium : eritque perpetuum, quia Chriſtus de hoc locutus Sacramento iuxta declarationem Ianſenij, Lyrani & aliorum, promiſit Apoſt. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem*

Matt. 28. 20.

tionem

ſionem ſeculi: nec vnquam hoc vult deficere in altari vt nemo quocumque tempore voluerit accedere ad S. Synaxim, ab illa recedat fruſtratus, vnde voluit vt nobiſcum ſemper eſſet Sacramentum hoc ardentiſſimæ charitatis, vt corda noſtra amore ſuo inflammando virtute ignis amoris, omnes in Chriſto vnirentur: hoc enim expendimus: hac namque eſca SS. Sacramenti ſuper caput prunæ congererentur Diuini amoris: quia in illo omnes homines inter ſe vnirentur, quantumuis procul à Deo forent elongati. Proprium igitur igni eſt coadunare vnum alteri licet ferro ferrum: quamuis enim hominum voluntates ferro ſint obſtipiores, ſi amorem Dei ſpectes: huius tamen ignis cæleſtis virtute fiet hoc vt omnes homines inter ſe vnum ſint, & Deo maxime coniuncti.

Li. 4. fidei c. 14. D. Ioañ. Damaſ. hac ratione motus comparat
Cap. 6. SS. Sacramentum carbunculo illi ignito quem
3 p. q. 79. a. 1 ad 2. vidit Propheta Iſaias, & confirmat D. Tho. *Carbo enim lignum ſimplex non eſt ſed vnitum igni: & ita panis communionis non ſimplex panis eſt; ſed vnitus Diuinitati.*

X. Vnde SS. Sacramẽtum dicitur ignis. Et cum ignis numquam ſit otioſus, imo ſemper operetur & accendat quidquid illi proponitur, quo omnia vnit & in ſuam conuertit ſubſtantiam, ac formam: ita hoc Sacramentum Diuinitatem quæ in illo eſt copulat recipienti, efficitq; eum participatiue Deum, vnde vnum ſunt: *Vt in nobis vnum ſint*: hoc etenim à Patre ſuo Chriſtus poſtulauit quando de illo pronuntiauit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.*

☞ 14 Ratio hæc in illo reſpondet monetque Deum, vt acceptum gratumque habeat ſacrificium iuxta illud Malachiæ prædicentis tempus Meſſiæ
Malach 3. 4. & ſacrificij in eo litandi: *Placebit Deo ſacrificium Iuda & Hieruſalem ſicut dies ſeculi, & ſicut dies antiqui.* Litteraliter hic capio SS. Sacramentum, dictum Sacrificium Iuda & Hieruſalem: quia in illa, ſacrificio incruento Chriſtus Dominus immolatur natus de domo & tribu Iuda, fuitque oblatus in Altari Crucis in Hieruſalem: hoc

XI. Et nullũ Deo cenſebatur acceptum niſi per ignem. igitur ſacrificium gratum fore prædicit Deo: *Placebit Deo ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui*: alludit vt opinor ſacrificijs illis antiquis, in quibus hoc Deo cenſebatur acceptum, ſuper quod ignis de cælo deſcendebat, illudque deuorabat: ſicut cõtigit in primo illo Sacrificio Abel: *Etenim reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius*:
Gen. 4. 4. Li. Traditio. Hebr. in Gen. nam vt aduertit D. Hieron. aliud eſſe non potuit ſignum ex quo cognoſceretur Deo gratum fuiſſe ſacrificium illud, niſi in eo quod *De cælo repente miſſo igne cremaſſet Deus & conſumpſiſſet ſacrificium Abel, intacta prorſus oblatione Cain.*

Et Theodotion ſecutus D. Hieron. legit hoc modo: *Et inflammauit Dominus ſuper Abel*. Licet autem nebulones hæretici Caluiniſtæ, & Lutheres hoc vt iocum & fabulas rideant Moſaicas, quas ad veritatis noſtræ trahimus confirmationẽ. Diuinæ tamen ſunt figuræ Spirit. S. dictante conſcriptæ ad huius myſterij veritatem confirmandam: quod probant D. Procop. D. Cyril. D. Chryſoſt. D. Theod. & D. Cypri. etenim in omnibus legis veteris ſacrificijs illud tantummodo habebatur Deo acceptum ſuper quod ignis de cælo deſcendebat: vt patuit in ſacrificio conſecrationis Aaron in ſummum Pontificem: & eodem modo in ſacrificio Gedeon & Manue, David, Salomonis, Eliæ ſuper quæ ignis de cælo deſcendit in argumentum euidens talia Deum acceptaſſe. Cum autem hoc noſtrum ſacrificium infinities multo Deo ſit acceptum, quam illa omnia coniunctim, indubie ſuper illud deſcendere debebat ignis de cælo: quia Deus ignis cõſumens ſub his latet ſpeciebus & ipſe panis deuorat ſubſtantiã quę prius erat in illo; illã tranſubſtãtians in corpus Chriſti, ex quo cognoſcitur ignis eſſe verus qui cõſumebat & in ſe conuertebat illud quod arripiebat: quãdoquidẽ videamus quod ignis in ſuam ſubſtantiam conuertat illius ſubſtantiam quam inuadit: & ita Chriſtus Dominus conuertit in pretioſum corpus ſuum & ſanguinem ſubſtantiam panis & vini ſuper quã deſcendit velut ignis Diuinus & cæleſtis, vt per hoc nos ſibi copulet & vniat, & quatenus vniformitate charitatis & amoris Dei, vnum in illo ſimus: hoc enim diſcimus ex D. Paulo his verbis de SS. Sacramento: *Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus*: alludens ad illud quod ſicut Sacramentum hoc charitatis eſt & amoris Diuini myſterium, ita nos in Chriſto & Chriſtum in nobis adunaret: *In me manet & ego in illo.*

§. 16. Vnitur nobis Chriſtus in SS. Sacramento, vt noſtram ipſe confirmet infirmitatem & virtutem corroboret.

Dicamus modo aliter quo non minus declaremus mirabiles effectus in nobis huius Sacramenti: quod nimirum Chriſtus ſe